

clausis in carcere peniteat: et expulsus vagus et desperatus per mundum in ordinis scandalum discurrat. Omnia vero que ad sustentationem corporis necessaria sunt monachis per abbatem distribuantur: quia tunc eos ad observantiam mandatorum, regule, absque contradictione poterit audacter compellere: si de necessariis vite nequeant murmurare. Sic enim de primitiva ecclesia apostolorum legitur. Erant eis omnia communia: nec quisquam eorum aliquid habebat proprium: sed dabatur singulis, prout unicuique opus erat. Quicumque enim vitam eorum voluisset cum fide christiana assumere: vendebat si quod habebat proprium: et precium ponebat ad pedes apostolorum. Ananias autem et saphira, qui contra institutionem apostolice conversationis peculium possidere occulte presumpserat: duram perditionis sententiam exceperunt. Similis pena digni sunt monachi: qui reperti fuerint proprietatis vitio delectari. Graue etenim crimen committitur: pro cuius expiatione offerri sacra oblatio prohibetur. Damnationis sententiam euadere non poterit: monachus propriarius qui sine penitentia ex hac vita decesserit. Omnes itaque monachi adeo sine proprio vivere sunt obligati: ut nulla dispensatione abbatis a voto paupertatis queant absolui. Et de his quidem copiosa iuris pontificij testimonia possemus adducere: nisi propositum breuitatis nos compelleret ad alia festinare. Hec igitur ex iure prolata sufficiant: quod restat dicendum, dictis sanctorum patrum et regulis comprobemus.

Ex dictis sanctorum patrum probatur: quod peculium monacho

penitus interdictum sit.

Cap. v.

Reuoluamus omnes sanctorum patrum scripta et regulas: et nusquam inueniemus monacho peculium vllatenus permissum. Omnes enim hoc vitium damnant: omnes proprium monacho prohibent: omnes in communi vivere renunciantes seculo precipiunt. Et primo quidem sanctum legislatorem nostrum benedictum audiamus in regula. Dicit enim. Precipue hoc vitium radicitus

B 1